AD HENRICVM TERTIVM REGEM GALLIARVM, DE THEVETI COSMOgraphia, Io. Auratus Poëta Regius.

PLVRES diſſereret cum mundos eſſe Sophiſta
Graius Alexandrum collachrimaſſe ferunt.
Vno quòd miſſo tua vix ſibi ſub iuga mundo,
Mittendos alios tot ſuperaſſe videt.
At tibi non orbes plures, loca plura ſed orbis
Vnius, & populos quos nouus orbis habet:
Dum non arte probat, viſu ſed teſte THEVETE,
Qui pedibus terræ triuit vtrumque globum:
Si generoſa tuæ noui benè ſemina mentis,
Quæ, quod Alexander non fuit, eſſe parat:
Non plorabis vt ille, puer quem nomine tantùm,
Nunc iuuenis tua per bellica facta refers:
Cùm vix dum vna tibi gens Gallica, genſque Polona
Altera dent vltrò iam ſua regna regi:
Tot ſupereſſe nouas gentes toto orbe donandas,
Si modò ſint fatis numina dextra tuis.
Sed flebis gentes noſtro tot ab orbe remotas,
Sub Chriſti nondum quæ ſubiere iugum.
Gaudebis tibi materiam tamen eſſe relictam,
Quæ proauis faciat regibus eſſe parem.
Vt non imperij fines modò Marte propagas,
Sed Chriſti: toto, quà patet, orbe fidem.